



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

103. De adultero marito.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 249  
nam habuerit, ut non communicet. Ceterum  
is qui non habet uxorem, & pro uxore con-  
cubinam habet, à communione non repella-  
tur, tantum ut unius mulieris aut uxoris aut  
concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione  
contentus. Alias vero, vivens abiciatur, do-  
nec desinat & ad pœnitentiam revertatur.

De repudio. *Ex epistola Innocenty Papæ.*

C I. De his etiam requisivit dilectio tua  
qui interveniente repudio aliis se matrimonio  
copulaverunt; quos in utraque parte adulte-  
ros esse manifestum est. Qui vero vel uxore  
vivente, quamvis dissociatum esse videatur  
conjugium, ad aliam copulam festinarunt, ne-  
que possunt adulteri non videri, in tantum ut  
haec etiam personæ quibus tales conjuncti sunt,  
etiam ipsæ adulterium commisisse videantur,  
secundum illud quod legimus in evangelio:  
*Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam,*  
*mochatur. & ideo omnes à communione fi-*  
*delium abstinendos.*

Decretal. In-  
noc. I. c. 26.  
Rhab. epist.  
ad Heribald.  
C. 21.  
Burchard. lib.  
9. c. 72.

De feminis quæ relinquunt viros suos.

*Ex Concilio Heliberitano.*

C II. Item feminæ quæ nulla præcedente  
causa reliquerunt viros suos, & alteri se copu-  
laverunt, nec in finem accipient communio-  
nem.

De adultero marito. *Vnde suprà.*

C III. Item femina fidelis, quæ adulterum  
maritum reliquerit fidelem, & adulterum du-  
cit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit,

Concil. Elibe-  
rit. c. 8.  
Burchard. lib.  
9. c. 62.

Concil. Elibe-  
rit. c. 9.  
Burchard. lib.  
9. c. 63.

250 R E G I N O N I S L I B . II .  
non prius accipiat communionem quam is  
quem reliquit de seculo exierit ; nisi forte ne-  
cessitas infirmitatis dare compulerit.

Canon est Eliberitani Concilij , relatus ab  
omnibus decretorum collectoribus , Reginone ,  
Burchardo , Ivone , Gratiano . Omnino au-  
tem prævaluisse videtur lectio quæ bona non  
est . Nam heic apud Reginonem , tum etiam  
apud Burchardum & Ivonem parte 8. cap.  
199. legitur & adulterum dicit . Contrà , in  
omnibus editionibus canonum Eliberitano-  
rum , apud Rhabanum in capite tertio libri  
pœnitentialis ad Otgarium , denique in ve-  
stissimo codice MS. Reginonis , quo nos ui-  
mum in hac nostra editione , in veteri denique  
canonum collectione MS. quæ extat in bi-  
bliotheca regia , disertè scriptum est & alte-  
rum dicit . quam lectionem confirmat idem  
Rhabanus in epistola ad Heribaldum cap. 21.  
ubi pro his vocibus habet & alij nubit . Apud  
Gratianum verò legitur in antiquis editioni-  
bus : & alterum maritum duxerit . Nos ita  
que vitiatam lectionem prætulimus sincere , illi  
intactos servaremus fontes ex quibus Burchardus suos rivulos derivavit .

De discidio . Ex Concilio Africano .

Concil. Afric.  
c. 69.

Halitgar. lib.

4. c. 10.

Pœnit. Rhab.

c. 3.

Burchard. lib.

9. c. 64.

C I V . Placuit ut secundùm evangelicam &  
apostolicam disciplinam neque dimissus ab  
uxore , neque dimissa à marito , alteri conjun-  
gantur , sed ita maneant , aut sibi reconcilien-  
tur . Quod si contempserint , ad pœnitentiam  
redigantur . in qua causa legem imperialem pe-  
tendam promulgari ,